



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Institutiones Dialecticæ

Dieterich, Conrad

Giessæ Hessorum, 1611

II. Quantitas

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56580](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56580)

II. QUANTITAS *πόςον.*

Prædicamentum Quantitatis, est dispositio Quantitatis per sua genera & species.

Quantitas est, quâ res dicuntur quantæ: seu, est magnitudo rei vel numerus.

Estq; vel Continua, vel Discreta.

Continua est, cujus partes cumulantur ad terminum aliquem communem. Discreta, contra.

[Philip. dicit continuam esse magnitudinem corporum, videlicet longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Discretam vero Numerum & Orationem. Definitiones harum specierum vide apud eundem.]

Quantitatis sequentes sunt.

## CANONES.

I. Quantitatum per se nulla est efficacia sive effectio. Omnis enim vis sive effectio tribuitur formis, substantiis, & qualitatibus.

Non ergo Evangelium Iohannis, & alia figura collo suspensa, mederi possunt certis morbis.

II. Quantitati nihil est contrarium.

Contrarietas enim est Qualitatum.

III. Quantitas non recipit magis & minus, sed majus & minus. Sicut triangulum non est altero magis vel minus triangulum, licet sit majus.

[Differentia est inter magis & minus, & inter majus & minus. Hac enim dicuntur de quantitate. Illa vero de qualitatibus intensione sive remissione intelliguntur. Sic piscium alii

alii habent minores & pauciores branchias, alii majores & plures, sed non differunt branchia secundum magis & minus. Omnes enim suo quoque loco usum suum præstant, sive majores, sive minores.]

IV. Quantitati propriè competit dici æqualem vel inæqualem, parem vel imparem.

[Qualitates nonnunquam etiam æquales vel inæquales dicuntur, ut calor dicitur nonnunquam major vel minor. Verum non absolutè & per se, sed respectu quantitatis, propter sc. æqualem partium calidarum vel inæqualem cohesionem, non quæ calor est vel qualitas. Itaque ἰσότης propriè est Quantitatis, ὁμοιότης Qualitatis.]

III. QUALITAS ποίον.

Prædicamentum Qualitatis, est dispositio Qualitatis per sua genera & species.

Qualitas est secundum quam res dicuntur Quales.

Philippo Qualitas est forma (accidentalis) per quam substantia est efficax, seu qua movet sensus.

Species Qualitatis sunt quatuor. 1. Habitus. 2. Potentia naturalis. 3. Affectus 4. Figura.

Habitus est qualitas crebris actionibus in homine comparata, qua idoneus redditur ad operationes illas, quas per solam naturam præstare nequit.

[Accipitur variè. 1. pro omni eo quod habetur, ita & privatio est habitus. 2. opponitur privationi. 3. pro vestitu. 4. pro aptitudine, sive ut Barbari loquuntur, idoneitate ad rem aliquam administrandam. 5. strictè pro certa qualitatis specie, qua acceptio hujus loci propria.]

Estque vel inchoatus, vel perfectus.